



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

Ad Rationem VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

PROTESTANTIBUS DANDA.

35

*minime obstat voluntas, buccinatores hæreticos gladio Spiritus pro posse persequendi & impugnandi.*

Quæ sub finem odiose adducuntur, illa eadem sunt cum iis quæ allata sunt ratione I & II. ideoque itidem superfluum fuerit illa denuo refellere.

RESPONSIO AD RATIONEM  
VI.

*Pacem ejusmodi non esse frustratoriam, multo minus bello periculosiorem.*

**Q**uibus conatur probare, *pacem frustratoriam seu fallacem* esse, illa, ipso fatente, continentur in quinque modo allatis Rationibus. Itaque quum illæ sint confutaræ, jam tum hoc argumentum etiam est confutatum.

Bello periculosiorem esse pacem, probat unica ratione, nimirum *Hæreticorum perfidia*. Verum concessio antecedente, negatur tamen consequentia. Etenim pax cum hominibus subdolis & fraudulentis inita nunquam periculi quidem est expres, utpote quum tuta non sit, non tamen aperto & ferali aliquo bello est periculosior: sunt enim in illa pace saltim aliquæ malorum induciæ, quales fervente bello nullæ sunt. Deinde ambiguitas est in voce *perfidia*. Perfidi enim dicuntur I, qui nullam fidem servant persuasi quidvis sibi licere. II, qui in fide servanda sæpe sunt lubrici, si eos invitare videatur



deatur insignis utilitas. Cum prioribus an posterioribus pacem pangas, multum interest. Cum posterioribus initia pax non quidem caret periculo, sæpe tamen satis diu stat integra, florentibus interea pacis vi rebus publicis. Ut igitur de prioribus nihil dicam, cum posterioris generis hominibus nemo prudens pacem componere detrectat, si ita poscat utilitas publica. Proh dolor, ejusmodi hodie sunt pacis pacta inter potentiores pene omnia, imo semper ejusmodi fuerunt, semper erunt. Illud enim fere est ingenium potentiorū, ut pactorum vim utilitate æstiment. Si igitur nulla pax fuerit ineunda cum istius ingenii hominibus, in perpetuis bellis fuerit toti mundo vivendum: quod est dictu absurdissimum.

Jam autem ut ad Hæreticos veniamus, ipse Autor non videtur illos velle ponere in numero perfidorum primi generis. Et verò id nimis putidum & ab omni veritate alienissimum foret convitium. Cujus falsitas cum pateat omnibus, non est verosimile, in cujusquam boni & pii Catholici hominis mentem venisse. Posterioris generis omnes esse Protestantes etsi ponas, non tamen sequitur, pacem cum iis nullam ineundam, aut perseverandum in bello hoc maximè ferali. Ut enim ante diximus, eodem argumento licebit omnem pacem è mundo eliminare. Quid vero opus est verbis, ut ait ille,  
ubi



ubi rerum testimonia adsunt? Viximus compluribus annis in pace cum A catholicis, non quidem sine damno; attamen quis dixerit, eos illius pacis tempore ad nas calamitates fuisse adactos, in quibus hodie miseris nobis est vivendum? Sed videamus etiam argumenta, quibus perfidiam A catholicorum probat disputator.

*Ad I.* Cum indefinite loquatur, aut sermo illi est simpliciter de omnibus A catholicis aut de aliquibus. Si de omnibus, nego omnium perfidiam experientia comprobari. Certe illa experientia de occupatis bonis Ecclesiasticis contra pacta conventa, non pertinet ad omnes, utpote cum id non nisi ab aliquibus sit factum. Quosdam Principes A catholicos S. Cæsareæ Majestati & bono publico sincerè fidelem navasse operam, sine ingritudinis nota negari non potest, nec debet: ut qui hoc nomine magnam laudem apud Cæsarem & Status Catholicos, imo ipsum S. Dom. Nostrum, sint consecuti. Hæc dissimulare, non est ingenui hominis. Eorum, qui contra leges pacis Augustanæ bona Ecclesiastica invaserunt, causam ut probem, absit à me. Tantum dubito, num ea in re egerint perfide. Videtur enim, saltim multis eorum, persuasissimum fuisse & esse, vi illius pacis non teneri sese abstinere manus ab illis bonis. Nec mirum, in illam sententiam perductos esse Principes aliquot, utpote



te quum illam multis libris defendere non dubita-  
verint eorum Jurisconfulti, in quorum nonnullis  
eruditionem ne nos quidem desideramus. At vere  
perfidi demum sunt, qui scientes volentes frangunt  
fidem, non qui probabilibus argumentis seducti id  
faciunt. Notum porro est, nonnullos Protestan-  
tium illa attentata improbasse, & non desinere im-  
probare.

*Ad II.* Omnis hæresis quidem est dissensio à fide:  
sed per se non est dissensio à tranquillitate civili, ad-  
eoque per se non est paci publicæ adversa. Per ac-  
cidens, ex sententiarum illa diversitate contentio-  
nes & tumultus oriri, & quidem frequenter, solent.  
Sed hoc nihil ad probandam simpliciter Hæretico-  
rum perfidiam. Certe in veritatis defensione iti-  
dem sæpe peccatur, cum primis à Zelotis. *Servum*  
*Domini non oportet pugnare*, ait S. Apostolus: alibi  
legem sancit. : *Moderatio vestra innotescat omni-*  
*bus.* Quam id à nostri ordinis hominibus inter-  
dum non servetur, non dicam. Vicia multorum  
in pro patulo sunt. Contendendi & tumultuandi  
pruritus non profecto hæreseos proprium est in  
quarto modo. Esto tamen. Minime vero hinc se-  
quitur: Cum Hæreticis perpetuo belligerandum  
esse. Tumultus enim qui subinde concitantur, sub-  
inde etiam sedantur. Plurimum quoque est discrimi-  
nis inter tumultum & bellum, cum primis inter  
hoc



hoc aut huic consimile ferale bellum, quo in Germaniâ tota Ecclesia videtur & Respublica peritura, & inter alios tumultus hic alibi interdum excitatos. Verissimum est illud: *Omne regnum in se divisum desolabitur*. At propter hæreticas nonnullorum sententias regnum omne non est divisum. Possit regno inter religionum dissidia quietem integram esse, exemplo sit nobis Gallia hodie, & Polonia, cum primis autem Batavia. Esto vero: sint omnia regna quæ hæresin tolerant in se divisa: desolabuntur igitur aliquando. Quanto majus malum autem est, jam reapse in solitudinem redigi! Ut autem hoc malum desinat, ineunda nobis, pax est. Forte etiam cum tempore hæretici, si non omnes saltem multi, ad Catholicam communionem transibunt: nec enim est hoc impossibile. Possit illâ Pace in æternum omnia sinistra averti, nemo dixerit. Sufficit si à præsentibus liberemur, & quoad ferunt res humanæ in futurum simus tuti. Hæretici fidem quam Deo debent, reddunt quidem hæresi sua irritam. Idem autem fit & aliis mortalibus peccatis à maxima hominum multitudine. Pax igitur omnis fuerit è medio tollenda, si audimus hunc Ernestinum disputatorem.

*Ad III. Hæretici sua opinione ad religionem Catholicam opprimendam incitantur quidem, sed non ad vi opprimendam, & quidem contra datam*



fidem. Nusquam sane legi, hanc doctrinam ab iis constanter doceri. Si unus & alter illorum forte id docuit, non tamen omnibus id imputandum est, imo ne quidem plerisque. Passiva certe eorum doctrina est contraria, & hæctenus bona. Docendo pertendunt strenue contra Catholicos esse pugnandum & scribendo. In eo nulla perfidia est. Animi enim hunc sensum nusquam dissimulant. Si verum est fatendum, justior de Catholicis quam multis hac in re est Hæreticorū querela. Sed nolo revelare pudenda nostratium. Laudo ingenuum & candidū animum disputatoris: qui tam vehementer & acriter non dubitaverit hic oppugnare nostratium quorundam minus laudabiles sententias. Utinam pari in aliis fuisset moderatio!

RESPONSIO AD RATIONEM  
VII.

*Pacem ejusmodi non esse magis inordinatam mendacio.*

**M**Endacium, cum primis in re seria & contractibus, lædit communem mutuam obligationem generis humani, quæ tenetur quisque; ita sentire ac dicit, quia sine illo nulla potest in genere humano esse societas. Grave itaque est peccatum. Pax vera, quæ de loquimur, societatem humanam